26/9

259

ANNO IV · LUGLIO-SETTEMBRE 1942 (XX) · N. 3

BIBLIOTHECA PONTIFICII INSTITUTI BIBLICI

SALESIANUM

RIVISTA TRIMESTRALE

PUBBLICATA A CURA DEI PROFESSORI
DEL PONTIFICIO ATENEO SALESIANO
DI TORINO

DIREZIONE: PONTIFICIO ATENEO SALESIANO - VIA CABOTO 27 - TORINO (110)

AMMINISTRAZIONE: SOCIETÀ EDITRICE INTERNAZIONALE - CORSO REGINA MARGHERITA, 176 - TORINO (109)

Spedizione in abbonamento postale.
Gruppo 4°

SOMMARIO

ARTICOLI: De Ecclesiae potestate coactiva materiali apud Magistrum Gratianum: Sac. Prof. ALPHONSUS STICKLER, S. S., pag. 97. — L'interiorità agostiniana: Sac. Prof. VINCENZO MIANO, S. S., pag. 120.

RECENSIONI: P. BERNARDUS KURTSCHEID, O. F. M.: *De Methodologia historico-iuridica;* D. A. Stickler, pag. 143. — CARMINATI: *Il problema missionario;* D. T. De Maria, pag. 143. — Nuova Rivista: *Rassegna di Studi Etiopici;* pag. 144.

ABBONAMENTO ANNUO A « SALESIANUM »

ITALIA, L. 30 — *ESTERO,* L. 40

OGNI FASCICOLO: ITALIA, L. 9 - *ESTERO,* L. 12.

Manoscritti, corrispondenza e libri da recensire inviarli al seguente indirizzo: Direzione *Salesianum* - Via Caboto, 27 - Torino (110).

Abbonamenti e cambi di indirizzo inviarli al seguente indirizzo: Società Editrice Internazionale - Corso Regina Margherita, 176 - Torino (109).

DE ECCLESIAE POTESTATE COACTIVA MATERIALI APUD MAGISTRUM GRATIANUM

(*Altera pars*) *

B) VARIAE COACTIONES MATERIALES IN CONCRETO

Patet ex necessitate, fundamento, functionibus earumque finibus, quod potestas coactiva materialis ecclesiastica versatur circa ea, quae fieri debent, sed non aguntur: omissiones; circa ea, quae aguntur, sed non agi deberent: commissiones, actiones, quae constituunt transgressiones, violationes, aggressiones — mediate et immediate —, perturbationes.

Haec omnia si verificantur in aliquo subiecto passivo « in potentia », de quo supra, hoc fit subiectum passivum « in actu » i. e. de facto passibile coactionis, eam movens et in actum deducens.

Nunc inquirendum, quaenam media usus et exercitii huius coactionis materialis de facto — ex mente Gratiani — his in casibus, ab Ecclesia adhibebantur ac in quaenam obiecta dirigebantur, de variis scl. coactionibus materialibus in concreto investigandum.

Haec inquisitio non solum sententiam Magistri concreto-practicam demonstrare sed etiam mentem eius abstracto-theoreticam, supra expositam, magis illustrare ac in applicationibus practicis tandem aliquando complere debet. Ab infimis incipientes progrediendo ad summos gradus coactionis materialis ascendimus: effusionem sanguinis et vim armatam, conantes ex mente Magistri ad has quaestiones quoque, hodie adhuc aliquomodo controversas, aliquid afferre.

I. Solutio pecuniae.

Coactio mediantibus rebus pretio aestimabilibus, oeconomicis, earum privatione scl., frequenter in Decreto occurrit: Iam in tractatione generali ac theoretica expresse tamquam medium vindictae materialis Magister *dampna rerum* no-

* Primam partem vide in «Salesianum», IV (1942) - N. 1, p. 2-23.

In notis huius primae partis, post visionem ultimam ex parte auctoris, corrector officinae typograficae in omnibus alineis litteras minuscolas commutavit in maiuscolas. Qua de causa confusio oriri potest in citationibus inter d. (dictum) et D. (Distinctio); item inter c. (canon) et C. (Causa).

minat (1). Extra hunc locum huiusmodi coactio practice apparet in specie punitionis, quae infligitur Metropolitano qui ab episcopo suffraganeo, ad concilium veniente, aliquid ex rebus, quas hic secumfert, expetit: solvat quadruplum! (2). (Verum Gratianus ipse hanc *canonicam penam* non expresse in rubrica urget, sed ex contextu eam non excludit). Porro: Si quis iniuste appellaverit, sumptus quadruplos reddere cogatur (3).

Etsi restitutio ipsius rei alienae vel reparatio damni illati (4) non considerari potest coactio physica materialis, si obligatio tantum urgetur — agitur de obligatione morali restitutionis — huiusmodi coactio materialis certe habetur, si res aliena vel damnum illatum multoties dari vel reparari debet in poenam (5). Ecclesia utique saepe his in casibus *leges saeculi* canonizat ac in executione a brachio saeculari adiuvatur aliquando autem ex *mansuetudine* coactioni renuntiat (6).

Si servus sine consensu domini presbyter ordinatus est, *peculii amissione mulctetur* in favorem, ut videtur, domini, a cuius dominio liberatus est (7). Contra crimen sacrilegii realis et personalis, praeter excommunicationem, etiam *pena pecuniaria* statuta est *persolvenda eis ad quos querimonia sacrilegii pertinet* (8). Pro occisione deinde clericorum expresse summa compositionis, pro singulis clericorum gradibus diversa, adducitur (9). Loco quo Magister monasteria expresse eximit a mulctationibus (pecuniariis) peccantium, implicite tales *mulctationes* agnoscit (10). Postremo qui defendit aliquem ab episcoporum iudicio damnatum, etiam *pena dampni pecuniae* mulctari debet (11).

His locis clare apparet Magistrum poenam, coactionem ecclesiasticam in privatione bonorum ecclesiasticorum consistentem, noscere et ius eam statuendi sive contra clericos sive etiam contra laicos, ecclesiasticis auctoritatibus adiudicare idque in punitionem criminum ecclesiasticorum.

II. Privatio beneficii.

Pro solis clericis alia oeconomica punitio et coërcitio necnon coactio sensu stricto accedit: consistit in privatione beneficii, quae autem saepe mixte apparet una cum privatione officii i. e. una cum privatione spirituali. E. gr. tamquam

(1) d. p. c. 54. C. XXIII. q. 4.
(2) c. 7. § 1 D. XVIII.
(3) d. p. c. 7. C. X. q. 2; cc. 2, 21, 40, 41, 42, 44, C. XII. q. 2; d. p. c. 1. e. C. q. 4; c. 5. C. XX. q. 3.
(4) d. p. c. 8; c. 9. D. LIV; c. 7, 8, 9, 10. C. XII. q. 2.
(5) c. 11. et d. sequ. C. XII. q. 2.
(6) d. p. c. 8; c. 9. D. LIV.
(7) c. 27. C. II. q. 6.
(8) d. p. c. 20, (cf. c. 20 s.) C. XVII. q. 4.
(9) c. 27. C. XVII. q. 4.
(10) d. p. c. 31. C. XVIII. q. 2.
(11) c. 3. C. XXI. q. 5.

coërcitio contra violatores coelibatus (1); contra clericum, qui cum detrimento officii aliis negotiis vacat: *stipendio privetur* (2); item contra eum, qui saeculari ornatu utitur (3).

III. Bonorum confiscatio.

Talis privatio bonorum oecumenicorum sive in clericis sive in laicis usque ad bonorum confiscationem extendi potest e. gr. *Res eorum* — si parentes non habent — *qui ex clero labuntur simul cum ipsis monasterio tradantur* (4); similis sanctio exstat contra accusatores suspectos (5) et in nobiles, *qui contra pacem Ecclesiae nituntur* (6) etsi hoc casu Gratianus ipse in rubrica talem poenam non urget; quod dicendum est etiam de aggressione episcopi, quia in rubrica potius excommunicationem affirmat; coactio materialis oeconomica autem directe ex eius mente excludi nequit (7).

* * *

Praeter coactiones, quae fiunt ratione rerum, bona oeconomica constituentium, eae quoque a Magistro in Decreto referuntur, quae ipsum corpus humanum tangunt.

Ex coactionibus corporalibus afflictivis negativis, quae scl. corpus attingunt restringendo vel auferendo libertatem motus vel cogendo mediis materialibus: vinculis, moeniis etc., variae occurrunt.

IV. Inhibitio ingressus ecclesiae.

Huc videtur spectare inhibitio — saepe poenitentialis-punitiva aliquando etiam coërcitiva — ingressus liminum ecclesiae. Haec coactio saepius uti pars sive per se stans sive concomitans privationum ex poena generali excommunicationis orientium considerabatur (8). In Decreto expresse apparet e. gr. pro clericis, qui *in crimine fornicationis iacent* (9); ut consequentia infamiae *pro clericis et laicis, qui non obediunt episcopis* (10); imponatur per duos annos tamquam *poenitentia inva-*

(1) c. 10. D. XXXII; cc. 16 ss. D. LXXXI.
(2) c. 3. D. XCI.
(3) c. 5. C. XXI. q. 4.
(4) c. 4. C. XVI. q. 6.
(5) c. 3. C. III. q. 5.
(6) c. 32. C. XXIV. q. 1.
(7) c. 22. C. XVII. q. 4. coll. d. p. c. 20. e. C. e. q. (c. 22. C. XXIV. q. 3. est palea).
(8) Cf. Roberti, *De delictis et poenis*, I. 2. p. 373 et quoad Decretum ipsum e. gr. d. p. c. 24. C. XI. q. 3.
(9) c. 15. D. LXXXI.
(10) c. 11 et d. p. c. 24 § 1 C. XI. q. 3.

soribus rerum ecclesiasticarum (1), *arceatur etiam ab ecclesiae ingressu, qui aliquem de ecclesia violenter rapuerit* et qui ecclesias violat (2); *si quis propositum castitatis viduae vel virginis inpedierit* (3); uno anno, *qui matrem occiderit* (4); *minister, qui post consecrationem conmunicare contempnit* (5); coniugibus autem post actum coniugalem consilium tantum videtur dari non impositio (6).

V. Exilium.

Si talis prohibitio extenditur ad territorium patriae, exilium habetur: *privatio soli patrii* (7).

Exilium Gratianus videtur admittere, etsi id non expresse attendat, pro clericis ad verbera semper paratis (8). Expresse autem *exules* fieri affirmat eos, *qui episcopos persecuntur* (9). Non modo cit. auctoritatis sed Gratiani quoque sensui conformis haberi potest sanctio exilii contra accusationes suspectorum statuta (10) ac *expulsio ab omni plebe* excommunicatorum ulterius ecclesiam perturbantium (11). Item eligi potest inter carcerem ac *exilium perpetuae deportationis* in casu vexationis praediorum ecclesiasticorum (12); ignobiles machinantes contra Ecclesiae pacem perpetuo exilio castigentur (13); sacerdos (eiusque complex) maleficiis operam dans *exilii perpetui ergastulo religetur* (14).

Vidimus ergo quod secundum Gratianum talis coactio materialis in criminibus ecclesiasticis non solum contra personas Ecclesiae modo speciali consecratas, sed etiam contra laicos exercetur.

Habentur aliae species exsilii: relegatio vel huius subdistinctio: deportatio (15) necnon aliae huius generis coactiones minores: Sic monachi vagantes compellendi sunt per relegationem (16); *Mutatio loci* coacta, pro *a n i m a e* salute *valet conversis ad penitentiam* (17); *cuilibet ab ordine deponendo episcopi providentia locus*

(1) c. 17. C. XII. q. 2.
(2) cc. 10, 11, C. XVII. q. 4.
(3) c. 16. C. XXXII. q. 2.
(4) c. 15. C. XXXIII. q. 2.
(5) c. 10. D. II. de cons.
(6) c. 7. C. XXXIII. q. 4. coll. d. p. c. 11.
(7) Forcellini, *Lexicon* II. p. 381.
(8) c. 8. D. XLV. coll. d. p. c. 13. e. D.
(9) c. 9. C. III. q. 4.
(10) c. 3. C. III. q. 5.
(11) c. 7. C. XI. q. 3.
(12) c. 13. C. XVII. q. 4.
(13) c. 32. C. XXIV. q. 1.
(14) c. 13. C. XXIV. q. 5.
(15) Quae autem voces tandem aliquando confuse adhibentur cf. Forcellini II. 73 s. 381; IV. 67.
(16) c. 18. C. XVI. q. 1.
(17) c. 9. D. LXXXI.

penitentiae deputetur (1); monachi vagantes *ad propria loca redire cogantur* per *defensorem* (2), item qui post religiosum habitum sponte susceptum desertores evaserunt (3). Expelli debent vi, qui auxilio potestatis civilis monasterium usurparunt (4); coactione i. e. vi separari coniuges monachorum et monialium (5).

VI. Incarceratio.

Gravius, quia non solum prohibet, sed ulterius ligat ac locum corporalis praesentiae arcte circumscribit, apparet incarceratio, quae a Gratiano saepe invocatur. Iam adduximus locum, ubi distinctio fit inter clericos et *ceteros*. Illi, si conspirant, *retrudantur in carcerem;* hi autem excommunicentur (6). Locus eo validior est ad mentem Magistri demonstrandam, quod solummodo in rubrica, non autem in corpore c. de carcere sermo sit. Custodia pastoralis vigilans contra sortilegos pro liberis inclusionem providet (pro servis autem flagellationem) (7). Clericis (minoribus) facultas datur uxores suas, si peccaverint, *habere in custodia* (8), et qui ecclesiae usibus dedicata praedia vexare temptaverit *carceri tradatur* (9).

Haec coactio saepius apparet in forma retrusionis in monasterium: Clerici maiores crimen capitale patrantes ab officio cadant; hoc Magister, de aptitudine ad ordines disserens, premit; sed non videtur excludere, coll. aliis locis, « provisionem » clerico deposito faciendam, in corpore can. expressam: *in monasterium detrudatur* (10). Ceterum in genere amissionem status clericalis sequebatur *provisio* ac *penitentia* in monasterio (11). In eadem tractatione excluditur ab ordinibus is, *qui ad penitentiam agendum in monasterio recluditur* (12).

In initio « *compendii* » Distinctionum « *de ordinandis et ordinationibus atque de singulorum graduum distinctionibus et officiis* » *retrudantur in monasterium presbyteri, qui penitentiam agere contempnunt* (13) et *clerici adulterasse convicti vel confessi* (14). Presbyteri falsum testimonium exhibentes, ex lege civili canonizata *monasterio tradantur* (15); *in monasterium deputetur episcopus, qui in ecclesia sua*

(1) c. 7. D. LXXXI. cfr. c. 30. e. D. in corpore.
(2) c. 17. C. XVI. q. 1.
(3) c. 2. C. XX. q. 3.
(4) c. 2, § 7. C. I. q. 7.
(5) d. p. c. 40, 43. C. XXVII. q. 1. cf. c. 32. C. XXIII. q. 8.
(6) c. 22. C. XI. q. 1.
(7) c. 10. C. XXVI. q. 5.
(8) d. p. c. 9. C. XXXIII. q. 2.
(9) c. 13. C. XVII. q. 4.
(10) c. 7. D. L.
(11) Cf. c. 5. C. XXVI. q. 5; c. 5. C. XXIII. q. 8; c. 4. C. XVI. q. 6; c. 28. C. XXVII. q. 1; c. 9. C. XXX. q. 1.
(12) c. 58. D. L.
(13) c. 8. D. LXXXI.
(14) c. 10s. D. LXXXI.
(15) c. 3. C. V. q. 6.

residere contempnit (1); qui occiderit monachum aut clericum *Deo in monasterio serviat cunctis diebus vitae suae* (2). Clerici propria temeritate transeuntes ab ecclesia propria ad aliam coërceri ac puniri possunt per relegationem in monasterium *aliquo tempore* (3); monialis fugitiva ac fornicationi dedita, *in monasterio revocetur ac recludatur*, idem valet pro monachis (4). Alio monasterio tradatur religiosa lapsa in proprio monasterio (5). His poenis et coërcitionibus Gratianus votum castitatis religiosorum defendit, usum saltem matrimonii, contra tale votum contracti, prohibens (6).

His locis omnibus clare indicatur finem huius coactionis in punitione simul et coërcitione, tandem aliquando etiam coactione sensu stricto, consistere; sonat semper repressionem et correctionem, partim punitionem, partim utrumque. Exercetur saepius in clericos et personas Deo consecratas; non excluduntur tamen laici.

Potest extendi usque ad ergastulum: pro virginibus, *si religionis veste deposita aliis se copulaverint* (7); item *ergastulis retrudendae sunt monachorum et monacharum inpudicae personae* (8).

VII. Redactio in servitutem.

Maxima autem capitis deminutio tamquam coërcitio ac punitio infligi debet — secundum Magistrum — mulieribus concubinis clericorum: *venundentur ab episcopo, que appetunt illicita clericorum consortia* (9). Conceditur a Gratiano quoque — et in punitionem uti patet — revocatio in servitutem servi, qui diaconus ordinatus fuerit, quin a domino suo libertatem consecutus sit (10). Eadem facultas i. e. revocandi in servitutem conceditur pari modo — et, coll. loco praecedenti, ex mente Gratiani — episcopis erga libertos ecclesiae, qui ab episcopis praedecessoribus nihil ecclesiae conferentibus emancipati sunt (11). Expresse *in servitutem ecclesiae devocentur* filii ministrorum (*ab Episcopo usque ad Subdiaconum*) eius idque *iure perhenni* (12). Patet tamen quod haec coactio, mors civilis, iam aliquomodo regionem spiritualem quoque ingreditur.

(1) c. 20. C. VII. q. 1.
(2) c. 28. C. XVII. q. 4.
(3) c. 2. C. XXI. q. 2. coll. d. p. c. 3.
(4) c. 15, 18, 19, 39. C. XXVII. q. 1.
(5) c. 28. C. XXVII. q. 1.
(6) d. p. c. 40, 43. C. XXVII. q. 1.
(7) d. p. c. 8. D. XLV.
(8) c. 11. C. XXVII. q. 1.
(9) c. 30. D. LXXXI; et notandum quod Gratianus hoc can. huiusmodi coactionem episcopo attribuit; in c. 10. D. XXXII. autem principibus talis *licentia indulgetur*.
(10) d. p. c. 8. D. LIV.
(11) c. 39. C. XII. q. 2. quod dici potest etiam de c. 35 e. C. e. q.
(12) c. 3. C. XV. q. 8.

VIII. Ieiunium.

Alia coactio corporalis afflictiva, quae forsan medium inter negativam et positivam tenet est ieiunium. Considerabatur olim medium verae coactionis non solum ecclesiasticae (1), verum etiam civilis (2).

Tamquam medium coactionis ecclesiasticae materialis ieiunium saepe a Gratiano adducitur, immo frequentia locorum ab eo adductorum — ubi sive in coactionem, coërcitionem ac praesertim in poenam per modum poenitentiae infligitur — plane palam mens eius redditur. Magni habet ieiunium coactivum sive clericis sive laicis imponendum (3).

Praeter coactiones, quae bonum aliquod materiale vel mediis materialibus corpori a u f e r u n t, ut voluntatem compellant, coërceant, puniant, Magister Gratianus noscit ac defendit coactiones afflictivas materiales positivas quoque, quae scl. ad eundem finem corpori aliquod malum physicum i n f e r u n t. Etiam Ecclesia habet ius eas adhibendi, saltem si haec mala transeuntia sunt ac delibilia sicut flagellatio et fustigatio.

IX. Flagellatio.

Locis quibus in genere *vindictam corporalem* Ecclesiae vindicat, Gratianus saepe, immo fere semper in *flagellatione* insistit (4), quam ulterius aliis in Decreti locis affirmat:

Dicit S. Paulus (5) episcopum non debere esse « percussorem ». Hac occasione Magister ex professo quoad hunc hierarchiae gradum quaestionem corporalis flagellationis perpendit. Videtur negandum tale ius: *non enim oportet episcopum ita esse irascibilem et perturbati sensus, ut percutiat, qui debet esse patiens* (6). Multis auctoritatibus hoc probari videtur. Sed variae auctoritates et exempla contraria

(1) *Pena aut corporalis aut spiritualis... corporalis pena ut ieiunium et verbera; huiusmodi pena pecunia redimi potest* (Distinctiones « Consuetudo » p. 3 cit. fol. 97 vb.). Cfr. etiam *Bernardi Papiensis Summam* v. 33. § 4. ed. Laspeyres, Ratisbon. 1860, p. 255; inter poenas corporales enumerat: exilium, ieiunium, carcerem etc.

(2) Cfr. Hinschius, *System.*, vol. V, pag. 32 et aliis locis.

(3) Sufficiat aliquos locos indicare: c. 36. D. L.; c. 5. D. LXXXII; c. 109. C. XI. q. 3. c. 17. C. XII. q. 2 cum dicto praecedenti; c. 11. C. XXII. q. 4; c. 8. C. XXXIII. q. 2; d. p. c. 9. e. C. e. q.; *clericis conceditur, si uxores eorum peccaverint... ad ieiunia eas cogere.* Quod ulterius in verbo: *penitentiam agere* etiam ieiunia sint comprehensa cf. e. gr. d. p. c. 11. C. XXXIII. q. 2; c. 21. D. III de pen.; d. p. c. 26. D. III. de pen.; c. 1. D. V. de pen. § 8 et alios locos citt. Patet ceterum iam ex verbi significatione communiter accepta.

(4) Cf. totam C. XXIII. in specie q. 4, 5, et d. p. c. 54. q. 4.

(5) 1. *Tim.* 3, 2.

(6) d. introd. D. XLV.

sunt (1). Concordia horum discordantium canonum, in ipso d. introd. iam latenter complexa, patenter a Magistro exprimitur (2): non ius corporalis flagellationis nec eius exercitium negandum (etsi minus conveniat episcopo *propria manu* flagellare (3) i. e. ius propriis manibus exercere); sed abusus iuris in praeiudicium aliarum virtutum, officio necessarie inhaerentium, vitandus est; quod confirmatur aliis locis (4).

Flagellatio — in poenam — adhibeatur contra eum *qui scripta in alterius famam probare neglexerit* (5). Subdiaconus, qui crimen inculpatum non probat, *tamquam revera infamis meruit verberibus castigari* (6). Spoliatio honoris proprii pro iis ignobilibus, *qui nituntur contra pacem ecclesiae* consistit in corporali verberatione ac exilio perpetuo (7); custodia pastoralis contra *sortilegos et ydolorum cultores* — si servi sunt — item in *verberibus* explicatur (8).

Vidimus ergo quod Gratianus ius praefatae coactionis in genere ac sine restrictione affirmat (9), usui autem et executioni condiciones adnectit. Sic dedecet altiores gradus hierarchiae propriis manibus exsequi flagellationem; item indecorum est ipsos vel alios nobilioris status hac coactione affligi (10). Generatim exercetur in pueros, clericos minorum graduum, ignobiles.

* * *

Remanent nobis tractandae quaestiones duae, quarum prior versatur circa punitionem (non excluso aspectu coërcitivo), altera autem circa coërcitionem (non excluso aspectu punitivo ac coactivo).

(1) d. p. c. 8. D. XLV. *Salomon econtra ammonet, dicens: «percute filium tuum virga, et liberabis animam eius a morte». Hinc etiam B. Gregorius scribit in Dialogo, B. Benedictum quendam monachum virga percutiendo sanasse, quem crebra ammonitione curare non poterat. Hinc etiam Dominus flagello facto de resticulis male versantes in templo flagellavit et de orationis domo eiecit. Hinc etiam Apostolus fornicatorem illum satanae corporaliter vexandum tradidit, et magum illum corporali cecitate dampnavit. Hinc etiam in canonibus pueri, qui ante rationales annos irrationabiliter versantur, verberibus castigari iubentur. Virgines quoque si religionis veste deposita aliis se copulaverint, ergastulis retrudi precipiuntur.*

(2) d. p. c. 13: *Ex his omnibus apparet, quod nec lenitas mansuetudinis sine rectitudine severitatis, nec zelus rectitudinis sine mansuetudine in prelatis debet inveniri. Percussores ergo, qui premissis auctoritatibus ab episcopali officio removentur, non quilibet corporaliter flagellantes sed pretermissa mansuetudine ad verbera semper parati intelligendi sunt, qui per flagella non vicia corrigere, sed timeri appetunt.*

(3) Cf. d. p. c. 24; c. 25, D. LXXXVI.

(4) e. gr. in «compendio»: d. p. c. 22 et 24. D. LXXXVI et c. 2. C. I. q. 7.

(5) c. 1. C. V. q. 1.

(6) c. 3. C. V. q. 6.

(7) c. 32. C. XXIV. q. 1.

(8) c. 10. C. XXVI. q. 5.

(9) Nec obstat d. p. c. 41, § 3, C. II. q. 7, quia — ex contextu — de mortis poena agit.

(10) Cf. ll. citt. ac c. 9. D. XXXV, ubi de clericis in genere sermo est et, data poena alternativa in corpore c., Gratianus, in rubrica, *corporale supplicium* omittit.

Sunt duae quaestiones hodie adhuc — ut iam supra diximus — theoretice saltem agitatae; theoretice dicimus, quia momentum practicum, tempus praesens quod spectat, minime habere videntur, quamvis momentum practicum relate ad tempus praeteritum et relate ad cognitionem huius temporis eiusque momenti historici eis denegari non possit; multum enim abest, ut plane perspicere possimus tempus praeteritum id speciatim, quod medium aevum vocant quodque variis sub aspectibus ambages nobis adhuc exstat. Si Magister Gratianus — ex hac suae mentis inquisitione — aliquid minimi tantum ad talem cognitionem, et — quaestiones ipsas quod spectat — votum auctoritatis suae, certe non minimi habendae, afferre possit, inquisitionem ipsam non perperam nos instituisse existimaverimus.

X. Ius gladii: Effusio sanguinis.

Prima quaestio est: an Ecclesiae spectet ius adhibendi coactionem corporalem afflictivam positivam indelebilem?

Dicimus indelebilem in genere; ergo non solum mortem sed etiam mutilationem et vulnerationem gravem cum magna sanguinis effusione. Dicimus ulterius: ius a d h i b e n d i talem coactionem. Nam hoc modo loquendi iam distinctio fit inter quaestionem exercitii iuris, quam premimus praeprimis, et quaestionem iuris ipsius; quae mere theoretica evadit, si omne exercitium constanter negatur.

Ante omnia terminologiam Gratiani hac in materia et quaestione statuere iuvabit. Communiter scriptores utebantur figura et voce *gladii* ad designandum summum gradum iurisdictionis coactivae. Ita etiam Magister in Decreto suo ad designandum ius inferendi necem, mutilationem (1).

Frequens — secundum temporis usum — est dictio: « sanguinem fundere » (2). Occurrunt etiam alii termini: *in sanguinem alicuius armari* cum S. Augustino (3); *capitalem sententiam ferre* (4); *reos morti tradere* (5); *supplicium mortis* (6); *Mem-*

(1) V. supra terminologiam iurisdictionis materialis in genere p. 9s.; in specie d. p. c. 41. C. II. q. 7; d. p. c. 12 et 35. C. XXIII. q. 4.; d. intr. q. 5. - d. p. c. 5. C. XXXIII. q. 2. - Ab introductis auctoritatibus eodem sensu una cum Gratiano hoc verbum adhibitum esse demonstrat earum collatio cum rubricis e. gr. c. 36, 45. C. XXIII. q. 4. - cc. 32, 39. e. C. q. 5. - c. 6. C. XXXIII. q. 2. etc.

(2) c. 7. C. XXIII. q. 5; c. 31. e. C. e. q., item d. p. c. 48 et 49; d. p. c. 28 e. C. q. 8; c. 29. e. C. e. q. - c. 36. D. L. - c. 34. D. IV de cons., quo in casu idem significat ac mors, quod autem non semper accidit. Significationem termini praecisam explicant fusius sive documenta auctoritatis ecclesiasticae e. gr. c. 4. X. de rapt. V. 17; c. 3. X. de crimine falsi V. 20; c. 5. X. ne clerici III. 50, sive scriptores, cfr. Hinschius *System.*, vol. V, pag. 50; I, pag. 45; Du Cange, *Glossarium*, VII, sub voce « *sanguis* ».

(3) c. 36. C. XXIII. q. 4; d. p. c. 7. e. C. q. 5.

(4) c. 45. C. XXIII. q. 4.

(5) d. p. c. 54. C. XXIII. q. 4; c. 16 e. C. q. 8.

(6) c. 2. C. XXIII. q. 5.

brorum truncatione vel temporali morte plectere (1); *morte perimere* (2); *occidere aut debilitare* (membris) (3); *agitare iudicium sanguinis* (4); *usque ad necem affligere* (5); ac iterum atque iterum adhibentur verba communia ut: *interficere, occidere, necare, trucidare*, etc.

Inspiciamus ante omnia textus ipsos, ubi Magister mentem suam, relate ad quaestionem, manifestam facit:

In Dist. L. auctoritates introducit asserentes neminem ad statum clericalem promoveri vel ad maiorem clericatus gradum provehi vel ministerium suum ulterius administrare et in officio suo permanere posse, qui quocumque modo hominem occiderit, sive propria manu, sive consilio aut praecepto, sive culpose tantum, sive non servato moderamine inculpatae tutelae, sive casu et inconsulte vel *necessitate angustiatus*. Postea autem (6) distinguendo solvit: solummodo eos, qui dolose et graviter culpose homicidium commiserint, his sanctionibus percuti oportere, non autem alios, qui tamen poenitentiam agere debent. His patet, quod occisio hominis statui clericali omnino opposita, aliena est, ita ut etiam ubi nulla culpa moralis exstet, poenitentia ac *dispensatio* necessaria sit; apparet tamquam macula — etsi mere materialis — status clericalis, quae omnibus modis detestari ac vitari debet. En ratio discrepantiae effusionis sanguinis et status clericalis: indoles specialis huius status.

Alio loco occasio redit tractandi quaestionem idque ex ore praelatorum ipsorum: *Nathan, propheta*, — hi praelati strenue obiiciunt — *non tulit in eum* (David) *sententiam, qua tamquam adulter et homicida morti addiceretur* et *nunc nulli ecclesiasticorum iudicium sanguinis agere licet* (7). Hoc loco sententiam ipsius hierarchiae ecclesiasticae Gratianus nobis tradit, quae, etsi sicut argumentum alterius quaestionis inducitur, in qua ipse Gratianus oppositam sententiam tenet, tamquam in se omnino valida et perfecta ab eo nulla refutatione vel responsione tangitur.

Clare et certe ulterius Magister mentem suam in fine «dicti» conclusionis quaestionis de vi armata aperit. In hac quaestione expresse distinguit inter ius et eius exercitium. Ius ipsum vis armatae concedit, sed exercitium clericis ipsis negat: demandandum est laicis (quod videbimus fusius infra). Ne autem quis credat huiusmodi exercitium per mandatum saltem concedi posse etiam quoad effusionem sanguinis, expresse et consulto assertioni exercitii illius per mandatum adiungit negationem ipsius quoad effusionem sanguinis: *Effusionem vero*

(1) d. p. c. 7. C. XXIII. q. 5. coll. c. 7; d. p. c. 30, c. 31, e. C. q. 8.
(2) d. p. c. 48. C. XXIII. q. 5.
(3) c. 33. C. XXIII. q. 8.
(4) c. 30. C. XXIII. q. 8; d. p. c. 41. C. II. q. 7.
(5) c. 9. C. XXXIII. q. 2.
(6) d. p. c. 35. D. L.
(7) d. p. c. 41. C. II. q. 7, § 4, § 8.

sanguinis nulli episcoporum sua vel inperatorum auctoritate inperare licet (1). Hoc confirmat duabus auctoritatibus, dum tertia talem prohibitionem quoad *ceteros* commendat.

In fine eadem claritate eandem mentem premit occasione criminum matrimonialium (2): Cum matrimonium cadat sub iurisdictione Ecclesiae aliquis maritus potuit sibi persuasum habere, quod ipse *causa adulterii vel alterius eiusmodi criminis* tamquam minister saltem ac laicalis executor iuris ecclesiastici coactivi hoc in casu uxorem suam interficere possit; immo cum consensu et auctoritate Romani Pontificis: *videtur Nycolaus permittere.* Contra talem errorem perniciosum ac detestabilem statim Magister contendit: *Sed ecclesiastica disciplina spirituali gladio, non materiali criminosos feriri iubet* et, ut dictum indubie confirmetur, statim auctoritatem eiusdem Nicolai, cuius verba errori ansam dederunt introducit sub rubrica: *non licet alicui uxorem adulteram occidere;* et paulo post concedens clericis facultatem utique: *si uxores eorum peccaverint, habere eas in custodia et cogere ad ieiunia,* urget expresse: *sine mortis acerbitate* et *non* tamen *usque ad necem* (3).

His locis luce clarius patet Magistrum nullo sub praetextu et nullius auctoritate clericis concedere usum gladii ad effusionem sanguinis.

His autem obiicere quis potest: Nonne ipse quaestionem, ex professo positam, circa liceitatem mortis inferendae affirmative solvit? (4) Utique! licitum est interficere reos criminis, tantummodo ecclesiastici nempe *malos.* Sed notandum quod omnes quaestiones huius C. — excepta octava — non inquirunt ex professo in subiectum executivum vel etiam subiectum activum iuris, potestatis coactivae materialis; de hoc ergo subiecto iuris eiusque exercitii — quoad singulas coactiones in concreto — speciatim est inquirendum quod ex parte revera iam fecimus: Conceditur nempe quoad inferiores gradus et media potestatis coactivae materialis; negatur quidem expresse quoad effusionem sanguinis.

De facto in eodem dicto, quo affirmatur liceitas interfectionis flagitiosorum etiam subiectum activum innuitur; *publicae potestates, potestas, lex, illi, qui zelo catholicae matris accensi...:* in omnibus auctoritatibus huius vel aliarum quaestionum, ubi de effusione sanguinis *iusta,* et *licita* sermo est, semper, sive in dictis, sive in rubricis, sive saltem in corpore can. illae *publicae potestates, quibus huiusmodi offitia commissa sunt* pressius determinantur. Sunt: potestas civilis (5), vel ii, qui — etsi non habeant *legitimam potestatem* — divino iussu excitantur

(1) d. p. c. 28. C. XXIII. q. 8, cum tribus cc. sequentibus.
(2) d. p. c. 5, c. 6. C. XXXIII. q. 2.
(3) d. p. c. 9. c. 10. C. XXXIII. q. 2.
(4) d. p. c. 48. C. XXIII. q. 5.
(5) Ut pauca tantum ex C. XXIII. q. 5, afferamus: c. 4. d. p. c. 7. cc. 8, 9, 13, 16, 18, 19, 20, 21, 22, 23; quapropter propria quaestio incidens: *de reverentia principibus praestanda* a d. p. c. 23 ad c. 25 et Pars VI; de offitiis propriis principum in materia, cf. ulterius infra. Ex hac activitate consequentia utique non negligenda sequuntur.

ad hoc *scientes* vel *nescientes* (1). Ceterum ipse Gratianus alios quoque locos Decreti hoc sensu explicat (2).

Ubi autem talis facultas (occidendi reos) negatur, hoc fit proprie ratione subiectorum executivorum, quia nempe sunt clerici i. e. ministri clericales Ecclesiae, vel ii, qui *non habent legitimam potestatem*, vel quia premitur spiritus lenitatis Ecclesiae (3). Ergo obiectio potius confirmat mentem Magistri supra expositam.

Alia adhuc obiici possunt ex aliis Decreti locis: inducitur documentum aliquod Leonis Papae, ubi decernitur vel *Irrevocabile exilium* vel *ultima supplicia* infligi debere (4). Sed hoc documentum spurium (5) a Gratiano aliam omnino ob causam introduci nec ab ipso ullo modo hanc sanctionem in fine c. adducti statutam attendi — contra omnes alios locos expressos — ex contextu ac rubrica clare patet.

Alia difficultas gravior exsurgit ex loco, ubi Magister Papae Adriano decretum adscribit, quo delatori *lingua capuletur aut convicto caput amputetur* (6). Correctores vero Romani locum attribuunt legibus saecularibus; sed hoc Gratiani mentem quod spectat urgeri nequit; dicendum potius est quod locus intelligendus vel de exceptione (qua ius qua tale confirmaret) vel de incuria Gratiani; etsi exercitium mandandum potestati civili subintelligeret, ius qua tale hoc loco concederet Ecclesiae.

Illud autem *dignus est supplicio, qui se ipsum Deo subtrahit a voto resiliens* (7), ex corpore ipsius c. explicatur: *in divino iudicio*. Capitalis sententia autem in eum, *qui de ecclesia vi aliquem exemerit...* etc., a *rectoribus provinciae* i. e. a civili potestate fertur (8).

Iam supra innuimus rationem huius strictae prohibitionis: specialis indoles status clericalis; ratio forsan ex Decreto ipso aliquatenus fusius illustrari potest.

De facto in c. quo etiam occisio ex necessitate detestatur (9), dicitur: *de his clericis... statutum est, ut qui altario ministrant et Christi corpus et sanguinem tradunt, vel vasa sacro offitio deputata contrectant, ut ab omni humano sanguine, etiam hostili, se abstineant*. Et ubi sacerdotibus prohibetur, quominus intersint iudiciis ubi *discriminis sententia preparatur* (10), explicatur: *quia sacerdotes a Christo ad ministerium salutis electi sunt*. Tota deinde pertractatione vidimus quod Ecclesia secundum Gratianum in exercitio potestatis suae coactivae etiam materialis semper

(1) c. 49. C. XXIII. q. 5. cum longo d. sequenti.
(2) e. gr. d. p. c. 18. C. XXXIII. q. 2.
(3) cc. 1, 2, 3, 4, 6, 7, d. p. c. 7, cc., 14, 15, C. XXIII. q. 5.
(4) c. 23. D. LXIII.
(5) Cfr. n. 224 (ad c. cit.) in ed. Friedberg.
(6) c. 5. C. V. q. 6.
(7) c. 3. C. XVII. q. 1,
(8) d. p. c. 29. C. XVII. q. 4.
(9) c. 36. D. L.
(10) c. 29. C. XXIII. q. 8.

correctionem, emendationem urget; si hoc consideramus faciliter intelligitur curnam Ecclesia *abhorreat a sanguine:* quia cura matris semper correctionem expectatam operatur, quae, vita morte intercepta, impossibilis omnino evadit, vel quia obtruncatio membri irreparabiliter signum mali commissi imprimeret, quod Ecclesia numquam irreparabile habet durante vita (1); intelligitur etiam, curnam *qui rei sunt sanguinis ab ecclesia defendi debeant* (2).

Sed haec ratio minime absolute ac semper Ecclesiam ita obstringit, ut hominis occisionem semper et absolute impedire debeat, quod Magister expresse notat: *pro malis autem apud principes* (en iterum ministri exclusivi huius coactionis) *ecclesia debet intercedere, non eos temerario ausu defendere* (3), quia bonum ac spes singulorum tandem aliquando bono communi cedere debet. Et hoc casu *pax ecclesiae mesticiam consolatur perditorum* (4) atque in hac necessitate — dicit Gratianus, ex ore concilii Lateranensis II (a. 1139 habiti, quo tempore Decretum certe partim iam mente Magistri conceptum erat) —: *Sane regibus ac principibus faciendae iustitiae facultatem consultis archiepiscopis et episcopis non negamus* (5); et locum aliquem S. Augustini de hac supplicatione Ecclesiae facta pro eis qui rei mortis sunt, explicat: *Quamvis enim supplicando spatium vitae eis reservari poposcit, non tamen legum severitatem, qua tales morte plectuntur, non observandam docuit* (6).

* * *

Hucusque quaestionem de exercitio tantum iuris effusionis sanguinis ventilavimus. In hoc Gratianum ipsum secuti esse credimus, qui Decretum suum pro foro et scholis composuit intentione ductus, ut omnia inservirent fini immediate practico; ubi inseruit quaestiones speculativas vel abstractas hoc fecit eundem ob finem; quod demonstratur occasione ac causa cuiusque insertionis necnon modo eiusdem tractationis (7).

Cum ergo exercitium i. e. usum practicum iuris clericis recise negaverit, tam mediatum quam immediatum, iam non amplius interest inquirere quaestionem iam nunc mere theoreticam circa possessionem iuris nudi. Quapropter eum tractationem directam vel explanationem expressam de hoc fecisse merito desperamus.

Nihilominus inspicere possumus si forte implicite mens sua innotescat. Iamvero ipse adhibet verba quae per se liceitatem, usum tantum tangunt: *licere*

(1) En curnam mors civilis, in qua hae rationes exulant, in ecclesiastica potestate sit. Cf. supra p. 102.
(2) c. 7. C. XXIII. q. 5.
(3) d. p. c. 2. C. XIV. q. 6. cum c. sequenti.
(4) c. 48 (rubrica) C. XXIII. q. 5.
(5) c. 32. C. XXIII. q. 8.
(6) d. p. c. 49. C. XXIII. q. 5. in fine.
(7) Cf. exemplum supra cit. de praedestinatione. p. 12.

iubere, concedere; immo etsi auctoritas introducta ius ipsum urgere videtur: *gladium non habet* (1), ipse in rubrica dicit: *non licet occidere!* In ipsa quaestionis positione (q. 8. de vi armata, ubi autem figura gladii indistincte pro iure sive effusionis sanguinis sive vis armatae adhibetur) dicit: *hactenus licuit; in posterum spiritualem tantum exerce* innuens in omnibus potius tractationem de exercitio. Evidenter liceitatem et exercitium tantum premere intendit!

Ex his colligere licet eum, expressione sua, ius a priori non excludere; item ex rationibus prohibitionis exercitii, supra adductis, summa convenientia, sed convenientia tantum eruitur.

Potestne autem dici, quod ipse ius nudum admittat? Ad hanc positivam argumentationem varia adduci possunt:

Ubi non coactio materialis humana (en exercitium!) sententiam mortis exsequitur, huiusmodi sententiam — mediante coactione divina supernaturali exercendam — ferre concedit ideoque a priori ius concedere videtur; ex contextu nempe patet quod Gratianus sententiam mortis in Ananiam et Saphiram a S. Petro legitime latam qua talem agnoscit (2).

Sed aliquid ultra afferri potest: Ipse, ut statim videbimus, prohibet exercitium immediatum i. e. per clericos iuris vis armatae, quia utique saepe ad effusionem sanguinis pervenitur, quod non ignorat (3); hoc non obstante concedit exercitium mediatum per laicos. Potest igitur imperari, quod regulariter ad effusionem sanguinis perducit, sed in quo — exercitio mediato — effusio sanguinis non est in intentione nec consequens essentialiter necessarium.

In hoc quidem licet videre affirmationem iuris ipsius sed negationem exercitii, mediati vel immediati, quod directe ac intentionaliter effusionem sanguinis pro obiecto et effectu habet (uti sententia capitalis vel alia poena effusionis sanguinis). Possetne alias concedere vim armatam clericorum *auctoritate* per laicos exercendam? Si antedicta Gratiani mens admittitur, facile etiam intelligitur curnam illud *effusionem vero sanguinis nulli episcoporum sua vel imperatorum auctoritate inperare licet* in loco, quo de vi armata tantum loquitur, adiungat (4); hoc sane dicit: nemo ex concessione mediati saltem exercitii vis armatae, hoc etiam quod attinet ad ius effusionis sanguinis — ex analogia — presumat, cum econtra omne exercitium in casu negandum sit. Si enim totum ius effusionis sanguinis, etiam nudum, excluderet, curnam tanta cura de excludenda et praevenienda analogia cum vi armata?

(1) c. 6. C. XXXIII. q. 2.

(2) Cf. d. p. c. 26. C. XXIII. q. 4; rubr. c. 16. e. C. q. 8; c. 14. e. C. e. q. ubi de hac occisione dicitur: *fuit tamen opus spirituale*.

(3) c. 5. D. L., d. p. c. 48. C. XXIII. q. 5: potestates *bella gerentes* iuste occiderunt (est argumentum ad probandam liceitatem mortis); c. 21. C. XXIII. q. 8: Gregorii auctoritas tamquam obiectio contra vim armatam Ecclesiae inducitur praecise quia *episcopi in morte cuiuslibet hominis se miscere formident* bella scl. moventes vel in eis partem sumentes.

(4) d. p. c. 28. C. XXIII. q. 8.

Intelligitur etiam curnam expresse distinguat: *s u a vel inperatorum auctoritate;* si ius proprium omnino negaret non esset cur etiam diceret: *s u a ;* sufficeret enim dicere: *inperatorum auctoritate.*

Videtur ergo exercitium omnino, sed exercitium tantum a Magistro negari. Quod forsan confirmatur ex ipso usu indistincto figurae gladii pro effusione sanguinis et pro vi armata; in casu vis armatae ius certe conceditur.

XI. Ius Gladii: Vis armata.

His autem inductionibus et argumentis iam praevenimus secundam quaestionem eiusque solutionem: Attribuitne Magister Ecclesiae alterum medium summum coactionis materialis, vim armatam? Responsum iam datum nunc ex Decreto probandum remanet. Elucubratio mentis Gratiani non nimis est difficilis, quia ipse quaestionem ex professo ponit ac solvit (1).

Relate ad terminologiam eius hac in re dicendum quod utitur item figura gladii (materialis) (2), aliisque terminis: *arma arripere, arma parare, ad pugnam accedere, ad arma invitare, saecularis milicia,* etc.

Hic quoque ut supra praeprimis notetur in quaestione semper agi de rebus ecclesiasticis (etsi quoad extensionem huius conceptus illis temporibus aliae sententiae ac hodie viguisse videntur).

Notetur insuper quod Gratianus quaestionem de clericis in genere posuit (d. introd. C. XXIII) et nunc iterum ponit (d. introd. q. 8.: *De episcopis vel quibuslibet clericis*). In corpore quaestionis de facto de *sacerdotibus, episcopis, prelatis* loquitur. Nullam distinctionem ipse Magister inter varios clericorum et hierarchiae gradus instituit relate ad argumentum eiusque solutionem secus ac Decretistae, qui utique ex hoc capite novas quaestiones, distinctiones solutionesque introducunt.

Magister quaestionem inducit famoso illo dicto Domini, Salvatoris nostri, quod per saecula instrumentum erat disputationis, probationis, obiectionis utrique parti, quae circa relationes, iura ac obligationes utriusque potestatis, civilis et ecclesiasticae, acerrime decertabant: *Converte gladium tuum in vaginam* (3).

(1) q. 8. C. XXIII.

(2) d. introd. C. XXIII. q. 1; d. p. c. 12 et 35; c. 36. e. C. q. 4; d. introd. q. 8. e. C.; d. p. c. 41. C. II. q. 7; iuvat autem notare, quod etiam in auctoritatibus ipsis talis terminologia invenitur i. e.: gladius materialis est figura summi gradus potestatis coactivae materialis sive iuris effusionis sanguinis (v. supra), sive praesertim vis armatae: e. gr. c. 9. D. XLV. - c. 14. C. XI. q. 3. - c. 2. C. XV. q. 6. - cc. 16, 33, 44, 45. C. XXIII. q. 4; cc. 27, 32, 39 e. C. q. 5. - c. 21. C. XXIV. q. 1.

(3) Mt. 26, 52. - cf. de his — inter multos scriptores hac in materia — speciatim: Leclerc, J., *L'argument des deux glaives dans les controverses politiques du moyen-âge,* in: « Recherches des Sciences Religieuses », XXI (1931), pag. 299-339; XXII (1932) pag. 151-177, 280-303. - Eichmann E., *Acht und Bann im Reichsrecht des Mittelalters,* Paderborn 1909, pag. 27-55. - Knabe L., *Die gelasianische Zweigewaltentheorie bis zum Ende des Investiturstreites,* in: *Historische Studien,* Heft 292 (Berlin Ebering 1936), pag. 154 ss.

Modo, quo explicat hoc dictum, iam innuit modum ratiocinandi et argumentandi utriusque partis suo ac posteriore tempore necnon propriam solutionem (1).

Auctoritatibus, quae omnino negare videntur vim armatam, mox opponit distinctionem inter arma arripere *propria manu* ac mediantibus aliis i. e. laicis (2). Distinguit ergo inter exercitium iuris per se et exercitium per alios; a priori inter ius et exercitium iuris. Concedens exercitium per alios a priori concedit ius ipsum.

Fatendum quidem quod hoc peremptorie ex cit. dicto adhuc non constat, quia nempe verbum *hortari* per se non necessarie implicat delegationem iurisdictionis; sed etiam obligationem, aliunde exsurgentem, in mentem revocare, eius implementum moraliter urgere significare potest; quem alterum sensum verbi *hortari* etiam in mente Gratiani conscienter adfuisse probari potest considerato d. p. auctoritates, quae talem *hortationem* confirmant; sed eodem dicto probatur insuper, quod Magister, in casu, priorem quoque sensum illo verbo comprehendit: delegationem propriae iurisdictionis coactivae materialis:

In registro etiam legitur, quod B. Gregorius civibus Tusciae, ut contra Langobardos arma pararent, mandavit, et militantibus stipendia decrevit. Hoc igitur exemplo et premissis auctoritatibus claret, quod sacerdotes, etsi propria manu arma arripere non debeant, tamen vel his, quibus huiusmodi offitia conmissa sunt, persuadere, vel quibuslibet, ut ea arripiant, sua auctoritate valeant inperare (3).

Varia ergo in hoc dicto affirmantur:

1. Confirmatur illa thesis (d. p. c. 6.), qua contenditur, quod clerici *propria manu* arma arripere non debent; i. e.: exercitium immediatum per se ipsos cuiuscumque iurisdictionis coactivae, vi armata faciendum, clericis prohibetur.

2. Conceditur, quod sacerdotes, i. e. Ecclesia, alios, i. e. laicos, hortari possunt, ut propriam i. e. laicalem iurisdictionem exerceant, quae est hortatio moralis: *persuadere his, quibus huiusmodi offitia conmissa sunt.*

Ex quo ulterius sequitur, quod secundum Gratianum exstat iurisdictio coactiva civilis propria in rebus ecclesiasticis i. e. ius et obligatio arripere arma pro Ecclesia.

3. Conceditur, quod sacerdotes i. e. Ecclesia, propriam, i. e. ecclesiasticam, iurisdictionem coactivam, vi armata exercendam, quam per se, i. e. per

(1) *Converte gladium tuum in vaginam, omnis enim, qui acceperit gladium, gladio peribit ac si aperte ei diceretur: hactenus tibi tuisque predecessoribus inimicos Dei corporali gladio licuit persequi, deinceps in exemplum patienciae gladium tuum, i. e. tibi hactenus concessum, in vaginam converte, et spiritualem tantum gladium, qui est verbum Dei, in mactatione veteris vitae exerce.*

(2) d. p. c. 6: *His ita respondetur: Sacerdotes propria manu arma arripere non debent; sed alios ad arripiendum, ad oppressorum defensionem, atque ad inimicorum oppugnationem eis licet hortari.*

(3) d. p. e. 18.

clericos, exercere nequeunt (v. 1.), quibuslibet (laicis) delegare possunt idque vi obstrictiva: *quibuslibet sua auctoritate valeant inperare.*

Ex quo claret Ecclesiam ius vis armatae habere; secus *sua auctoritate* inperare non posset. Ulterius claret, quod hi *quibuslibet* laici esse possunt, qui per se nullam propriam iurisdictionem habent, i. e. fideles ad hoc convocati; sed insuper quod in his *quibuslibet* iterum ipsi reges ac principes (*quibus huiusmodi officia conmissa sunt* iam alio ex fonte) comprehendi possunt. Hoc habet momentum: nam sic Ecclesia eorum *propriam* (civilem) iurisdictionem extra eius fines territoriales ac personales, immo ad totam Ecclesiam extendere potest.

4. Sequitur, quod Gratianus distinguit scienter et consulto: ius et exercitium iuris; et hoc iterum: exercitium propria manu et per alios.

Quoad *effusionem sanguinis* ius tacite affirmare videtur; expresse autem negat utrumque exercitium; i. e.: omnia negat, excepto, probabiliter, iure nudo.

Quoad *vim armatam* autem ius et exercitium mediatum i. e. per laicos affirmat; exercitium vel usum immediatum per clericos tantum negat; i. e. omnia affirmat, excepto exercitio immediato propria manu.

Hae conclusiones clarae, illustratae ultra per rubricas et auctoritates ad hoc introductas, in dicto quo quaestionem solutione definitiva concludit, egregie confirmantur:

Licet ergo prelatis ecclesiae exemplo B. Gregorii ab imperatoribus vel quibuslibet ducibus defensionem fidelibus postulare. Licet etiam cum B. Leone quoslibet ad sui defensionem contra adversarios sanctae fidei viriliter adhortari, atque ad vim infidelium procul arcendam quosque citare. Effusionem vero sanguinis nulli episcoporum sua vel inperatorum auctoritate inperare licet (1).

Mirandum qua perspicua claritate atque eleganti distinctione Magister Gratianus iura ac potestates discernat, qua claritate haud pauci ex modernis et — ut videtur — etiam multi ex coaevis ac posteris ipsius Gratiani certe non abundant.

Remanet nobis deductiones has ex toto Decreto explanare, ulteriores consequentias explicare:

Ad. 1. Extra q. 8. C. cit. aliis quoque in Decreti locis Gratianus demonstrat repugnantiam inter statum clericalem et exercitium militiae. Inter impedimenta ordinis eminet militia baptizatorum (2); sacerdotes non debent bellis, sed orationibus operam dare (3). In omnibus deinde cc. C. XXIII. ubi secundum rubricam ecclesia *persequitur*, si haec *persecutio* vim armatam exigit, in corpore c. semper potestas civilis — vel propria ratione vel expetita vel imperata auctoritate — pro executione apparet (4). Etiam auctoritates quae q. 8. C. cit., contra

(1) d. p. c. 28.
(2) d. introd. D. LI, et cc. ss.
(3) c. 3. D. XXXVI.
